II. *Obſervatio cometæ, qui menſe Maio A.* 1759 *apparuit, facta Hagæ-Comit. à* Petro Gabry, *I. V. D. Societatis Reg. Scientiar. Socio, et Commercio Literar. cum Academ. Scientiar. Pariſienſi et Reg. Societ.* Gotting. *junCto: Communicated by Mr.* Emanuel Mendez da Coſta, *Librarian of the Royal Society.*

Read Jan. 13, 1763.

DIE 2 Maii, veſperi hora 9, cœlo ſereno, prima vice cometam vidi exorientem, et in gradu 19° 12′ 24″, Virginis, cum 28° 40′ 5″ latitud. auſtral. exiſtere, obſervavi: cauda exiſtente admodum exigua, et vergente verſus ſtellam W *Doppelmajeri* Atl. cœl. in conſtellatione Hydræ, vel β *Bayeri* Uranometr. Tab. 42. et *Flamſteedii* Atl. cœl. in conſtellationibus Hydræ, Corvi, & Crateris, in baſi Crateris auſtralis. Ipſe vero cometes ei ſtellæ, quæ eſt tertia et proxima ante Craterem V *Doppelmajeri*, vel ν *Bayeri* Tab. 44. in conſtellatione Hydræ, quaſi ſubſidebat, paulo tamen illa auſtralior.

Secunda vice obſervavi eundem cometam aſcendentem ſupra horizontem proximè ſequenti die 3 Maii, poſt nonam et dimidiam veſp. horizonte noſtro meridiem verſus exhalationibus infra cometam obtecto. Inveni autem ejus longitudinem 17° 11′ 40″ ♍ cum latitud. 27° 20′ 20″ auſtral. Idem tum auſtralior factus longius à Crateris baſi receſſerat, ita ut ferè in recta cum ♎ ad alam dexteram Corvi *Bayeri* Tab. 43, et ſpica ♍ linea exiſtere videretur.

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775).* www.jstor.org

Tertia vice cometa mihi fuit conſpectus veſperi die 6 ejuſdem menſis poſt horam nonam cum dimidia. Vidi tunc cometam multò occidentaliorem quam ν et ſupra φ *Bayeri* Tab. 44, factum eſſe, et cum corde Hydræ et ala ſiniſtra Corvi γ *Bayeri* Tab. 43, efficere triangulum obtuſangulum, cujus angulus erat in cometa obtuſus et horizonti vicinior; baſis ſive hypotenuſa erat recta jungens dictas ſtellas, et verſus zenith vergebat. Cometa longitudinem habebat 12° 51′ 7″ ♑, et latitud. auſtral. 22° 37′ 24″.

Proximè ſequenti die 7, poſt nonam et dimidiam (paullò ante 10) veſpertinam, eum iterum contemplatus ſum, et cum prima trium ante craterem S *Doppelmajeri*, vel μ *Bayeri* Tab. 44. et proxima ante craterem V *Doppelmaj.* vel ν *Bayeri*, iterum ferè conflare triangulum obtuſangulum; non ut heſterno die, ſed in ſtatu inverſo, et non tam obtuſo: cujus angulus ad cometam obtuſus erat, et zenith verſus vergebat, hypotenuſa ſeu baſis jungens dictas ſtellas, recta, et horizonti vicinior, et cometa ſane ſine cauda. Longitudo ejus 11° 59′ 14″ ♑, cum latitud. 21° 1′ 44″ meridional.

Cæterum, diebus 15 et 16 ejuſdem menſis cometam admodum debilem vidi, et ſine magno labore tubo contemplatus ſum, ita ut nulla amplius obſervatio à me fieri potuerit.

III. *Obſe-*